

SCHEMA QUODDAM DECLARATIONIS PONTIFICIAE CIRCA ANTICONCEPTIONEM

Homines nostrae aetatis magni aestimant authenticitatem. Christiani quoque ad hoc adspirant, ut ipsorum vita illi fidei consonet quam profitentur. At non credentes ob hanc eandem plane rationem, non diutius parati sunt illa praescripta moralia ore adprobare quae intellectu iam admittere non possunt. Ideoque criteria moralitatis quibus non credentes adhaerent, ab illis quae Christiani profitentur criteriis constanter discedunt, a lege scilicet Christi, quae sibi legem naturae assumit ~~non~~ *sicut* ~~aliter~~ ac Persona Christi naturam Sibi humanam assumpsit.

Homines nostrae aetatis aerumnas ac calamitates non modo experti sunt sed ipsi quoque plurimorum exstiterunt malorum auctores. Immania etenim nostri saeculi bella causa fuerunt et origo illorum criminum quorum reatu nos omnes aliquo saltem modo inficimur. Sensus nostri de sanctitate vitae humanae hebetes redduntur: aequo fere animo frequentiores violentias huic sanctitati late diffuseque irrogatas contemplamur. Nos quoque perterret novi belli universalis vel mera imaginatio. Hic noster terror ad arctiores cum proximis necessitudines ineundas nos impellit; sicque pericula nobis imminencia oblivioni dare satagimus. Et ita fit ut vita familiaris magis magisque intima evadit, bono heic ex malo procedente; abusibus quantum hodie profanari, dum homines intimam pariter et effugium modo quasi desperato sectantur.

Homines nostrae aetatis, ob suum ingenium sese semper perficiens, immensum in campo technologico progressum perfecerunt. At ob hoc idem ingenium mundus instatibus minis exponitur; ideoque homines timent ne, eodem abutendo, propriam ipsorum perniciem moliantur. Utinam Deus huiusmodi exitialem avertet conflagrationem! Nos autem homines timorem experiamur oportet, cum non pauci vitam humanam respicere incipiant acsi esset merum humani ingenii opus, cumque alii loqui non dubitent de "natura humana mutanda" acsi fas esset eandem novo modo formaque interdum induere. Christiani tamen non ignorant Deum homines creasse una eademque instructos natura, ut unicam efforment familiam, licet utique vita culturaque humana, iuxta sapientissima Divinae Providentiae consilia, in statu constantis evolutionis constituentur. Profecto salus nostra ab hoc dependet, nempe ut eiusdem illius naturae participes efficiamur, quam Dei Verbum in Christo assumpsit.

Huius mundi homines - fide carentes at humanismum sincere profitentes - quosdam sane modos agendi adprobare sciunt; nam ad iudicium efformandum de actuum moralitate, prae oculis habent illas dumtaxat concretas sequelas quae, experientia id eos edocente, reapse occurrere soleant. Sub lumine talis criterii, moralitas non est nisi medium quoddam ad felicitatem humanam adipiscendam, subsidiumque ad ordinem ac progressum humanae societatis promovendos. Tales homines modo claudo ac deficiente perfectionem humanam considerant: nam nihil prorsus expectant praeter ea ad quae homines propriis viribus attingere valeant.

Christiani e contra persuasos se habent actum rectitudinem moralem requirere rectam rationem voluntatemque rectam; voluntatem vero hominis tunc tantum bonam esse ac rectam quando amore erga Dei Bonitatem captatur. Qui tali amore animatur, ad Deum uti in Se est contendit atque omnem Eius imaginem in natura creata, et in iis praesertim quae Eum cognoscere et amare valent creaturis, in seipso scilicet et in aliis personis, colit diligitque.

Iuxta placita Christianorum, moralitas est illa regula vitae quae hominibus conveniat qui consortes effici Divinitatis vocati sunt. Nos utique hoc intendimus, nempe ut perfectio humana realitatibus supernaturalibus aperta semper remaneat, ideoque limites statuimus qui non sunt praetergrediendi. Pro comperto habemus fornicationem, exempli causa, et abortum semper et ubique labe morali infici, etsi homines huius mundi aliter conseant. Cum autem fallat humana fragilitas, Deum in adiutorium advocamus; cum homines bonum ac rectum pro stulto habeant, Providentiae nos Dei committimus.

Christi Apostoli praecepta castitatis mundo proposuerunt in quo perpauci tantum hanc virtutem magni aestimare sciebant. Castitas enim coniugalis, amoris coniugalis fortissima tutela, optimus quoque promotor atque expressio maxime authentica, non modo prohibet quominus abusus personarum in proprios fines egoisticos verum affectum fecte simulet, sed mutuae responsabilitatis regulam etiam ac normam proponit. Nos vero a crisi quae, cum hoc caput doctrinae Christi praxi deducatur, occurrere solent, animis deprimamur non oportet. Humanum sane est censere ideale nimis sublime proponi; humanum item est aestimare ideale illud, cum non attingatur, necessario minus exigens reddendum esse. Attamen homines nunquam ante haec nostra tempora tanti aestimarunt matrimonium tanquam Christi sacramentum quod significationem genuini amoris coniugalis miro in modo perficiat compleatque.

Haec aestimatio semper crescens, quam Litterae Encyclicae Casti Connubii expresserunt ac promoverunt, a doctrina tandem Concilii Vaticani II, in iis praesertim quae amorem coniugalem ac progenitorum responsabilitatem respiciunt, ulteriorem etiam evolutionem obtinuit. Attamen hi actus Magisterii ecclesiastici finem operi perficiendo minime imposuerunt; immo, e contra, aliqua solummodo initia huius operis constituunt. Pensum sane nobis committunt atque ad futura prospiciunt. Et hic labor nobis est accipiendus ac complendus: nam ad partes nostras in opere salutis pertinet.

Qualis oportet esse gressus nobis nunc perficiendus? Sunt quidem Catholici, iique veri ac sinceri filii Ecclesiae, qui proponerent hunc gressum consistere in anticonceptione admittenda atque in illis praeceptis reformandis quibus Ecclesia anticonceptionem hucusque indesinenter reprobavit. Qui hanc opinionem

sustinent multimodis ducuntur motivis. Alii sane argumentis persuasibilibus hominum huius mundi permoti, perspicere non valent nos aliter iudicare debere. Alii vero, difficultatibus coniugum affecti, illisque subvenire cupientes, rectam tamen viam ad huiusmodi subsidium praestandum non dignoverunt. Alii demum, animis propter lapsus praeteritos fracti, iter illud sublime ac difficile, quod ad fastigium sanctitatis in matrimonio Christiano conducat, amplius tentare non audent. Huc accedit quod non pauci, disceptationibus quibus progressus in novis prolis evitandae methodis, his ultimis annis, ortum dedit, mente confusi sunt. Iamvero per breve spatium temporis dubium exstabat num forte quaedam ex his methodis ab illa anticonceptione quam Ecclesia semper condemnavit, nonnihilo differrent; quapropter Magisterium pronuntiare non potuit, priusquam factum fuerit studium extensivum ac diligens. Nunc vero constat novas illas methodos eundem ~~prope~~ valorem moralem ac priores praeserre.

Quid nobis dicendum est de illa ad quam iamiam rettulimus propositione? Predecessor Noster fel. rec. Pius XI perspicuas normas pastorales circa peccatum abusus matrimonii statuit: quae normae nunquam retractatae sunt. Qui tales proceduras adprobant quales cum praedictis normis componi non possunt, id certo certius faciunt ob rationes quae ipsis plene satisfaciunt. Ideoque nonnisi post accuratissimam investigationem ad hanc devinimus conclusionem, rationes nempe in medio allatas, ob quas viuentes hucusque normae pastorales seponendae essent, nequaquam sufficere dicendas esse.

Rationes propositae ideo non sufficiunt quia normae pastorales a Pio XI in Litteris Encyclicis Casti Connubii statutae, ab hoc legis divinae ac naturalis praeepto immediate descendunt: "~~(Ecclesia Catholica... promulgat:)~~ quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale commiserint, gravis noxae labe commulari (AAS, 22(1930) 560). Et Nos hodie, pari auctoritate muniti, declaramus ac statuimus laudatum praeeptum graviter infringi omni interventu anticonceptivo, vel in uno tantum actu commisso omnique pariter interventu, quo illi processus quibus vita transmittitur, sive actui rite peracto praecedant, sive eundem subsequantur, naturali sua novae vitae procreandae vi, de industria hominum destituantur.

Neque ob pecularia nostrorum temporum adiuncta fas esset hoc praeeptum repudiare, quippe quod non versatur circa valorem humanum ~~secundarium~~, sed "ipsos vitae humanae fontes attingit" (Paulus VI, 23 Iun. 1964: cf. AAS, 56 (1964) 588). Verba quoque Pii XII p.m. de hac materia totum suum valorem adhuc retinent: "Hoc praeeptum hodie plenum suum vigorem obtinet sicuti heri; et idem cras remanebit atque semper; nam humanae legis praeeptum non constituit, sed legem potius naturalem ac divinam exprimit" (AAS, 43 (1951) 843). Quin aliquid vi ac

directo ^

minoris momenti ^

robori derogetur huius "legis fundamentalis quae actum coniugalem relationesque inter coniuges moderatur" (ibid.), aliae etiam normae huic accedendae erunt ac simul cum ea considerandae: normae, inquam, quae aequalem compartium dignitatem personalem ulterius tuentur ac actuum coniugalium integritatem protegunt, quippe quod "donationem mutuam significant et fovent, qua sese invicem laeto gratoque animo locupletant" (Gaudium et Spes, #49). Actus vero coniugalis "obiectivis criteriis, ex personae eiusdemque actuum natura desumptis, determinari debet:", nam simul sumpta haec criteria: "integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observent" (Ibid. #51).

Lex fundamentalis de actu et de intima consuetudine coniugum fundatur traditione perenni quae ab ipsis christianismi originibus derivatur. Ecclesia Catholica hoc praeceptum continenter docebat, iterum iterumque promulgavit; Magisterium vero inde ab initio usque ad nostrum saeculum a sanctis Doctoribus, theologisque eruditis, defendebatur quandocumque haec doctrina ~~impugnabatur.~~ ~~Consensus unanims quandocumque haec doctrina impugnabatur.~~ *Stat* → Consensus unanims adfuisse constat inter christianos primaevos qui de hac re agebant; quae praeterea explicita et inhaesitanter tractabatur a quibusdam ecclesiae Patribus, ut, v.g. SS. Augustino et Hieronymo in occidente, S. Joanne Chrysostomo in Oriente.

Nemo ex scriptoribus antiquis, ne antiquissimus quidem, hoc praeceptum tractavit ac si inter christianos esset novitas quaedam, a fonte non-christiano acceptata, vel ac si esset fructus ingenii proprii. E contra, hoc praeceptum semper tractabatur tanquam aliquid traditum; nam ejus materia considerabatur sub luce doctrinae inspiratae S. Scripturarum. Praeterea hoc praeceptum semper edocebatur christianis, vitam suam ducere exoptantibus juxta doctrinas evangelicas, non tanquam statutum quoddam humanum, sed utpote praeceptum legis divinae, praeceptum virtutis castitatis -- virtus quae apud philosophos infideles minime integra servabatur, dum in nova Christi Evangelii moralitate praeeminenter elucebat.

In Novo Testamento, sane, non datur locus explicita enuntians doctrinam quam hic perpendimus. Attamen, tum sacra Evangelia tum Epistolae Apostolorum clarissime illustrent normas essentielles perpetuo valentes vitae christianae, illam rationem agendi proclamantia juxta quam homo integram suam vitam non exclusa corporalitate et sexualitate dirigere debet si, vocationi suae respondens, ad vitam aeternam pervenire possit. Haec moralitas christiana, firmiter in divinis S. Scripturae eloquiis fundata, scutum exstat inexpugnabile eorum qui illud, inter hujus vitae proelium ejusque vicissitudines, prae manibus constanter retinent. Doctrina Catholica de actu maritali et de intima conviventia sponsum, inclusa lege fundamentali supra enuntiata, Patribus Ecclesiae visa est intime conjuncta novae Evangeliorum moralitati, quae moralitas valores excellentiores vitae, sexualitatis, castitatis humanae renovavit. Tam intime

quidem conjugitur hoc praeceptum castitati evangelicae, ut hoc semel relicto, deformationes semper majores progressive et inevitabiliter inducuntur; -- quod clare demonstrat tristis experientia multorum fratrum a nobis separatorum. Permissa contraceptione, iam nunc coguntur approbare, vel saltem tolerare, praxes notabiliter a nova moralitate Christi reaedentes, consociabiles vero sic dictae "Novae Moralitati" nostrae aetatis.

Haec "Nova Moralitas" inculcat sane authenticitatem et "communitatem", valores quae ad dignitatem humanam pertinent, attamen subinde hujus veritatis oblivisci videtur: "Corpore et anima unus, homo per ipsam suam corporalem condicionem elementa mundi materialis in se colligit, ita ut, per ipsum, fastigium suum attingant et ad liberam Creatoris laudem vocem attolant (Dan.3:57-90) Vitam ergo corporalem homini despiciere non licet, sed e contra ipse corpus suum, utpote a Deo creatum et ultima die resuscitandum, bonum et honore dignum habere tenetur." (Gaudium et Spes, n.14.)

Non semper exhibere videtur nova ista moralitas aestimationem justam naturae corporeae et sexualis hominis, quae elementa corporea, utpote essentialiter constituentia personam humanam singulariter unicam, dignitate quadam et sacralitate gaudent: "Indoles vero sexualis hominis necnon humana generandi facultas mirabiliter exsuperant ea quae in inferioribus vitae gradibus habetur; proinde ipsi actus vitae conjugali proprii, secundam germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt." (Gaudium et Spes, n.51). Acceptatio corporalitatis suae pertinet ad habitudinem mentis secundum quam homo, ut creatura finita, se gerit erga Creatorem suum infinitum. Reverentia erga sexualitatem suam humanam et corpoream propria est Christiani qui per adoptionem est frater Verbi Dei Incarnati, nam hoc corpus resurrecturum, est, destinatum ad vitam aeternam cum Christo.

Nemo Catholicus dubitat competentiam qua gaudet Ecclesia docendi authentice in rebus moralibus sicut in rebus fidei. (Conc. Vat. I, Denz.n.3075 (1840). Quando Ecclesia de moralitate activitatis humanae et corporeae doctrinam pronunciat, praecipue de illa activitate "qua praeter morum disciplinam a Deo statutam, item humanae ipsius vitae procreatio violetur" (Ioannes XXIII, Mater et Magistra, AAS 53 (1961) 446); Quando declarat, explicat et proponit "divinas leges vitae transmittendi" (Gaudium et Spes, n.51); quando saepius reaffirmat "legem fundamentalem actus et relationum conjugalium" (Gaudium et Spes, n.47); quando filiis Ecclesiae conciliariter docet quod "in procreatione regulanda, vias inire non licet, quae a Magisterio, in lege divina explicanda, vias inire non licet, quae in Magisterio, in lege divina explicanda, improbantur" (Gaudium et Spes, n.51 cum nota 14); -- in his omnibus faciendis et docendis, Ecclesia non aliud facit quam implere missionem quam a Domino Nostro ei confidebatur:

"Data est mihi omnis potestas, in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi." (Mt. 28, 18-20).

Antecessor Noster p.m. Pius XII plane et perspicue exposuit, juxta doctrinam Catholicam, legem moralem Christianam reperiri debere "in lege Creatoris, in uniuscuiusque corde impressa, et in revelatione, i.e. in complexu veritatum a divino Magistro edoctorum. Ambas leges, tum illam in corde inscriptam, nempe legem naturalem, tum veritates et praecepta revelationis supernaturalis, Jesus Redemptor confidebat, tanquam thesaurum moralem humanitatis, Ecclesiae suae, ut ab illa praedicarentur omni creaturae, illustrarentur et transmitterentur, intacta, et defensa ab omni contaminatione et errore, a generatione in generationem" (Pius XII, Allocut. de Conscientia Christiana, AAS, 44 (1952) 272). Idem Pontifex eandem doctrinam Christianam et amplius explanavit: "Ecclesiae potestas nequaquam 're~~rum~~ stricte religiosarum', uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate. Observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum, supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam. Hunc modum agendi iam Apostoli, et postea, inde a primis temporibus, Ecclesia semper tenuit et etiam hodie tenet, et quidem non instar ducis et consilarii privati, sed ex mandato et auctoritate Domini..." (Pius XII, Magnificate Dominum AAS 46 (1954) 671-2).

Proinde ut missione legem moralem docendi fungamur quam Redemptor noster Ecclesiae mandavit, et ut omnis dubitatio et mentibus hominum rursus excludatur, Nos hoc praeceptum denuo promulgamus, certi Nos legem Dei ac naturae promulgare quae in terris homines obligat quia prius in caelis eos obstringit.

Etiam si pro certo habemus hoc praeceptum inviolabile esse non ~~ab~~ investigatione mere humana, sed ~~a~~ sp^{er}antia quam Ecclesia a Deo illuminata semper docet' (Paulus VI, All.ad C.I.F., 12.2.66) dum missionem a Christo acceptam implet docendi omnia quaecumque mandavit, tamen fides intellectum quaerit. Quem intellectum et nos desideramus non quasi voluntatem Dei reiciamus nisi eius consilia intellegamus; multo minus speramus nos posse ad significationem existentialem normarum moralium vitae christianae penetrare. Illae enim nos ad vitam aeternam cum Deo ducunt, quam diligentibus se praeparavit, quae omnem experientiam nostram et aspirationes cordium superat. Immo intellectum desideramus quo promptiore animo Deo grates persolvamus qui sua misericordia nos ad se ducat, quoque melius sciamus quem ad modum praeceptum divinum exsequamur.

Consilium perfectionis hoc praeceptum non est, verum con-

dicio essentialis virtutis castitatis christianae. Tantum abest ut amori germano coniugum minetur, ut eum protegat vitamque eius teneram florere sinat, et tamquam primum propugnaculum id circumdat quod sacrum et inviolabile est, vitam humanam innocentem. Quas considerationes cum brevitate percurramus et theologis quibus competit ac philosophis inter fideles discussionem pleniorum relinquamus.

Egoismus hominibus specialiter post-medievalibus, mala plurima intulit. Huic pesti litterae encyclicae Casti Connubii iure signa morbida attribuerunt quae iam per saecula matrimonium afficiunt. Attamen apud nostros coetaneos sentitur 'mutuarum inter homines necessitudinum multiplicatio...ad quam inducendam hodierni technici progressus plurimum conferunt.' (Gaudium et Spes, 23) Ideoque magis in dies intellegitur personam humanam vi existentiae suae subjectivitate transcendere oportere, non modo se realitati obiectivae subiciendo, sed etiam necessitudines cum aliis personis formando.

Matrimonium et familia communitates sunt imperfectae in quantum natura sua communitatem maiorem societatis civilis requirunt; praeterea in Corpore Mystico non constituunt nisi cellulam, in Populo Dei ecclesiam minimam. Nihilominus hae relationes maxime immediatae clarissime inlustrant quem ad modum personalitas uniuscuiusque nostrum non existat nisi in communi-
one cum aliis personis, non floreat nisi participatio nutua habetur mentium ac cordium inter personas communitatis. Itaque cum Deo placuit ut nobis Se revelaret, aliquid vitae eius interioris attingere valebamus, ex relatione inter patrem et filium uti nobis nota erat; et id quod hominibus proposuit intellegere poteramus ex relatione nobis nota quae inter sponsum *et* sponsam obtinet.

Ut amor humanus germanus sit, necesse est ut ligamina nostrae communitatis cum aliis non violentur. Nihil nisi vestigium individualismi hodiernos impedit quominus agnoscant quantum anticonceptio relationes intimas amoris humani violet: amorem creativum hominum viventium erga eos adhuc exstituras, et foedus coniugale quae natura sua ad hunc amorem creativum ordinatur et eo veluti suo fastigio coronatur. (cfr. ibid.48)

" In officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tamquam propria eorum missio considerandum est, coniuges sciunt se cooperatores esse amoris Dei Creatoris eiusque veluti interpretes" (ibid.50). Actus coniugalis ab plures rationes in laude habendus est e quibus haec minima non est quod quotiescumque ad initium vitae personae novae ducere potest, tendit ad cooperationem divinam modo specialissimo conciliandam, nam unaquaeque persona quam Deo placuit ut ad existentiam vocet, expressio unica est amoris eius creativi. Itaque dum hic actus ejusque sequelae toti communitati humanae intersunt,

cum eius bonum agatur; curae singulari Deo sunt et communitati creaturarum quam ad se ordinat, et in primis illo Populo quem e creaturis elegit sibi singulariter dilectum.

Anticonceptio est fructus voluntatis quae inceptio[n]i novae vitae adversatur. Iamvero etiam inceptio vitae humanae sacra et inviolabilis est. Ea interventio quae ad conceptionem impediendam fit, non tantum actum ac processum biologicum aggreditur. (Gaudium et Spes 51) Talis interventio vitam humanam in antecessum aggreditur quia obstat quominus nova persona fiat. Cum bonitas in ordine morali non tantum ab eo pendeat ut sequelae bonae praevaleant, sed multo magis a rectitudine voluntatis, haec agendi ratio etiam prius immoralis est quam alicui nocumentum infert, nam voluntatem supponit quae inceptio[n]i vitae humanae potius adversatur quam sit aperta. Non nimis est asserere voluntatem ad inceptio[n]em vitae aggrediendam non multum distare a voluntate ad vitam ipsam aggrediendam. Cum bonum vitae tam fundamentale sit humanae personae, cumque inceptio vitae constituat continuum quid cum vita ipsa, (sicut profectio in iter sit continua cum ipso itinere), aggredi inceptio[n]em vitae, etiamsi non tam grave est quam vitam ipsam aggredi, huic assimilatur in eo quod peccatum grave est, neque componi potest cum spiritu amoris quo vita christiana animanda est, sine quo amicitia animae cum Deo rumpitur.

*
"In deo vero
gratias
habentur."

Maximo sane rigore et sine ulla exceptione omnem actum damnamus qui vitam humanam inde a momento conceptionis aggreditur, sive ad nascentias moderandas sive alia quavis de causa ponitur, sive ad nascentias moderandas sive alia quavis de causa ponitur (cfr. Gaudium et Spes 27, 47, 51). Quia actus huiusmodi inter peccata gravissima sunt quae poenas spirituales gravissimas merentur, cum nullo modo componi possint cum corde quod ad Deum constanter conversum est, unusquisque catholicus tenetur non modo ut eos fugiat sed etiam ut obstet quominus fiant vel fieri sinantur. Contra hoc scelus foedissimum pugnare idem est ac generose pro vita innocenti pugnare, pro filiis Dei qui maxime defensione carent, qui maxime corda nostra ad se attrahunt qui maxime reverentiam merentur propter ius suum ad vitam ut ad Dei cognitionem, amorem servitium veniant.

Sunt qui iudicent interventus licitas esse possent, qui vitam humanam jam existentem non aggrediuntur, sed quorum obiectum est impedire inceptio[n]em novae alicujus vitae humanae, -- dummodo illi interventus ad aliquam congeriem totalem actuum maritalium pertinent, quae adhuc ad procreationem et proli educationem dirigi potest, imo et quae aliquo sensu adjuvari potest per evitatum conceptionem, quae maturo iudicio inopportunum putatur. In decisione de prole habenda necne, verum est quod "hoc iudicium ipsi ultimatum coniuges coram Deo ferre debent." (Gaudium et Spes, #50). Attamen, voluntas quae contra bonum in actu individuo dirigitur, non recta efficitur ex eo quod ille actus cum pluribus aliis qui sunt boni consociatur;

secus, omnis actus, etiam pessimus, bonus redditur statim ac invenitur aliqua actuum consociatio ad quam pertinet, quae ut totum quid ad bonum dirigitur. Saepe tamen consilium generale ea sola ratione vitiatur quod inter actus ad eius executionem necessarios, unus invenitur malus.

Conjuges "semper regi debere conscientia ipsi legi divinae conformanda, dociles erga Ecclesiae Magisterium, quod illam sub luce Evangelii authentice interpretatur." (Ibid.) Medium inhonestum a fine quantumvis bono in quem ducit, numquam justificatur; nam talis finis perfectae Dei bonitati numquam aequivaleret, e contra fiat malum praecise quia a voluntate procedit, quae ad illius bonitatem violandam paratur. Exempli gratia: eligere infantem in utero occidere, etiam ad vitam maternam salvandam, esset tale medium improbum, quae bonitatem divinam violat, violando vitam humanam innocentem. In ultimo iudicii die, Dominus dicet: "Etiam mihi illud fecisti". Eligere efficaciter intervenire ad conceptionem impediendam similiter ostendit voluntatem violandi divinam bonitatem, nam talis voluntas est contraria bono fundamentalis humano, nam ipsa vitae inceptio sane est bonum personae humanae maxime fundamentale et sine qua non omnium aliorum ejus bonorum.

Usus periodi agenesios, sicut decessor noster, Pius XII, p.m. clarissime exposuit, legem fundamentalem vitae conjugalis non violat. Talis tamen modus agendi a contraceptione toto celo differt. Conjuges mutuo consentientes, propter rationem proportionatam, licite possunt ab unione maritali ad tempus abstinere, quin voluntatem immoralem adversus vitae inceptionem induant; nam conjuges ad bonum novae vitae producendum non semper obligantur, sed quovis tempore requiruntur illam revereri. Nihilominus, hanc conjuges facere debent cum prudentia vere Christiana, quae fiduciam in providentia divina et spiritum generositatem et sacrificii implicat. (cf. ibid.)

Hodie, valde difficile est pro aliquibus conjugibus in sua vita maritali proportionem ordinatam et concordiam debitam attingere; attamen "veram contradictionem inter divinas leges vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse." (Ibid., #51) Compatitur sane Mater Ecclesia cum illis conjugibus qui, adimplentes castitatis conjugalis requisita, multa ardua inveniunt. Fundet orationes incessanter tota Ecclesia, ut Deus talibus conjugibus suam gratiam et fortitudinem largiatur. Illos, a quibus id Deus exigit, hortamur vitam degendam etiam heroicam. (cf Pius XII, ad Obstetrices, AAS, 43 847); cum illis laetamur qui ingressi sunt hanc "longam viam ad sanctificationem, quae nutritur gaudiis et sacrificiis cotidianis, vitae apparenter ordinariae dummodo a lege divina directae, et amore pervasae: (Paulus VI, Allocutiad C.I.F., Feb.12, 1966)

Illi sane qui mediis peccandi servatis, ~~in~~ ⁱⁿico ad peccandum dispositi judicari debent, ad sanctitatem eodem tempore progredi nequeunt. Sed conjuges, qui virtutem castitatis excolere habitualiter conantur, qui illam a Deo studiose de-~~po~~scunt, qui illud auxilium, quaerunt et suscipiunt, quod ex ~~hunc~~ eis magis magisque praesto erit ~~al~~libus conjugibus spem et animum dare oportet, etiam quando ex fragilitate lapsi sint; nec a sacramentis vivificantibus Penitentiae et Eucharistiae cohiberi debent. Contritio vera et sincera potius in dilectione Dei et in desiderio Ei placendi quam in repugnantia a peccato fundatur. Deliberata rejectio mandatorum Dei amantissimi non est nimis facile praesumenda in illis qui habitualiter Ei placere contendunt.

Verumtamen, ad veram significationem contraceptione intellegendam, conjuges Christianos animum intendere oportet ad hoc, quod actus, cujus culpabilitas propter debilitatem mitigatur, vix oriri potest ex vero amore, quem in amplexu maritali exprimere volunt; tali enim actui ~~deest~~ ^{deest} illa libertas, quae propria est communioni dilectionis inter personas genuinae. Quivis actus peccaminosus, quantumvis ejus gravitas ex debilitate mitigatur, eodem tempore et secundeum eundem gradum deficiet a norma comunions humanae, quae inter conjuges amantes et in Christo conjunctos debita est.

Ut conjuges multo vexati adjuventur, volumus informationes jam acquisite in unum colligi et coordinari; nova educationis curricula efformari et jam existentia large extendi programmata indagacionis scientificae ("research-projects") ad cogniciones utiles detegendas praeparari et ad executionem mandari. Indagationes scientificae omnino necessariae sunt, praesertim in physiologia, ad praebendum fundamentum adhuc solidius pro usu periodi agenseos; in psychologia, ad inveniendam rationem optimam colendi amore ⁱⁿ simul ac sui ipsius dominium; in theologia morali, ad plenius investiganda illa impedimenta libertatis quae a scientiis modernis deteguntur, ut, tali scientia illuminati, impedimenta ista diminui possint, interim vero nostra aestimatio deficientis responsabilitatis humanae accuratior fiat. Praeterea, ultiores investigationes theologicae requiruntur, tum eorum quae ad processus vitae generativos pertinent, (ut possibilitas legitime regulandi hos processus magis innotescat), tum totius doctrinae Christianae de sexualitate et castitate.

Conjuges, qui rem perlucide considerant, intelligent quod ~~usus~~ ^{usus} illiciti contra generationem ipsum amorem nuptialem profanant (Gaudium-Spes, 47) Christus Dominus hunc amorem instituit secundum normam et exemplar Suae unionis cum Ecclesia. Amor conjugalis, cum tali exemplo, "proprio matrimonii opere singulariter exprimitur et perficitur" (Ibid. 49). Unio Christi cum Ecclesia in actu absoluto amoris sacrificialis fundatur, quo Seipsum pro Ecclesia obtulit. (cf Eph.5:25). Simili modo, actus genuinus amoris conjugalis reflectere debet illam absolutam indolem mutuae donationis sui ipsius, quam amor ille exprimere et

colere desiderat; e contra, interventus contraceptivus hanc reflectionem vix potest intactam relinquere. Per consensum mutuum, quo pactum amoris conjugalis constituitur, conjuges non eo ipso jus ad quemlibet modum agendi dant et accipiunt, sed tantum jus ad veros actus maritales "quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur" (Gaudium et Spes, 49), *vel quibus talis unio caste foretetur.*

Matrimonium et actus conjugalis inveniuntur inter relationes humanas maxime intimas. Relationes tamen inter personas assimilari non oportet rerum manipulationi, qua una res alia mere utitur. Relatio inter personas debet esse vera conversatio, quaedam communio corporis et spiritus, mentis et cordis. Matrimonium et actus conjugalis inventiones mere humanae non sunt; instituta enim sunt cum Dominus Deus virum et mulierem creavit: Hominis non est hanc institutionem a Deo datam emendare, ~~reconstituere~~.

"Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; ... Quomobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una." Gen.2: 23-24.

Neque hominis est statuere pro quolibet actu sensum seu significationem quam ille vult talem actum habere. Locutio equidem inventio spiritus humani est, qui sonis et signis suas significationes imponere potest. Unitas vero personae humanae realitatem etiam corporis sicut et spiritus continet; proinde dantur quidam gestus, ab hominibus non inventi, quorum sensus seu intentum ab homine pertractare vel mutare ad libitum non potest, quia sensus specificus est naturaliter insitus quibusdam actibus personae corporeis.

Spiritus hominis jactare potest se privare posse gestum singularem qui est actus conjugalis, significatione et efficacitate sua generativa quin simul privetur sua significatione unitiva amoris. Hinc sibi fingit se aggredi solummodo actum et processum biologicum, conservando istam reciprocam sui donationem quam actus exprimere vellet.

Re vera, tamen, aggreditur integritatem humanam sui ipsius actus personalis, falsificando foedus conjugale quo sponsi hunc actum sibi invicem voverunt. Nam vita hominis est reapse vita corporalis, et significatio huius totalis communitatis conjugalis, et communionis vitae inter coniuges, pendet ex significatione unitatis illius "duo in una carne."

Omnis Christianus etiam oportet semper recordetur suum corpus esse templum Spiritus Sancti. Temerarium est exspectare matrimonium sanctum et felix, virtus castitatis Christianae totis viribus si a pueritia non colitur. Omnes iuvenes Christiani compertum habeant oportet peccata contra castitatem ante matrimonium commissa grandi obstaculo esse posse illi felici matrimonio et bonae familiae quae iure meritoque desiderant. Si vero virtus castitatis assidue a pueritia colitur, nulla difficultas quae in matrimonio se manifestat, in solubilis ~~judicanda~~ esset. (cf. *ibid.* #51). *Consideranda*

Norunt omnes coniuges periodos plus minusve diuturnas evitare non posse in quibus cogentur prorsus abstinere ab actu coniugali; nam impedimentum oriri poterit vel ex absentia necessaria, vel ex rationibus psychologicis, aut ex morbo physico aut ex cautelis quae tempore puerperii imponuntur vel quae interdum durante praegnantia diu exiguntur, aut ex incertitudine de possibilitate conceptionis eo tempore quando responsabiliter iudicatur conceptionem non esse opportunam. Tantum in hoc ultimo casu anticonceptio videretur offerre solutionem illis qui talem gerunt morem. Coniuges, vero, qui secundum legem amoris coniugalis vivunt, videbunt hanc apparentem solutionem esse reiciendam, quandoquidem impedimentum morale, etsi invisibile verius et immobilius est quocumque alio.

Coniuges qui propter unam alteramve rationem abstinere ab acto maritali requiruntur, intimam vitam conjugalem plene interrumpere non coguntur; eam potius continuare debent omnibus aliis gestibus vitae conjugalis qui castitati sunt plene consentanei. Praeterea, coniugibus solatio esse potest consideratio quod tam abstinentia casta ab actu coniugali quam eius usus castus, vera expressio est donationis mutuae qua coniuges sese invicem locupletant. Haec amoris expressio quoque est specificè propria homini, cuius corpus et spiritus unam personam formant; neque angeli neque animalia hujus expressionis sunt capaces.

Ille qui incapax est abstinentiae eo quod nondum satis virtutem castitatis perfecit, non est plene capax amorem germanum in actibus suis conjugalibus exprimendi. Nam qui non est sui dominus, servus est cuiusdam automatismi genitalis qui, in humana natura sauciata, oritur, pro dolor, ex impulsibus male educatis et ex ambitu in quo illi impulsus omni parte venaliter corrumpuntur, vel saltem impudice concitantur. Perfectus actus amoris, tamen, debet esse totaliter liber; plenissimo sensu, esse debet actus ipsius personae. Illi soli qui iam adepti sunt dominium sui, possunt gestu amoris conjugalis exprimere plenam significationem quam hic gestus habere debet. Quando ille qui non est sui ipsius dominus, talem actum exercere contendit eius conatus ad perfectam expressionem amoris, (etsi nullum praeceptum in casu graviter violatur), certo deficiet. Actus eius quandam ambiguitatem exhibebit quia semper obscurum remanebit utrum homo sit dominus sui desiderii aut eius servus, utrum auctor sit actus vere humani an impulsui automatico respondeat, utrum se comparti donet, aut compartem egoistice in suam propriam utilitatem convertit. Coniuges qui se invicem vere amant, ut finem habeant oportet "caritatem reciprocam qua uterque quaerit bonum alterius, eiusque praevenit bona desideria, potiusquam alteri imponat voluntatem suam propriam" (Paulus VI, All. ad C.I.F., d. 12 februarii a. 1966).

Peccatum nos ne percellat, nam scimus nos esse debiles. Moralitas catholica admittit, immo asseverat hominem solum non posse adimplere legem moralem sicque bonum fieri. Illas exigentias adimplere homini impossibile est, Deo autem possibile, et

homini in Dei amicitiam vocato et in filium adoptato. Sic libertas humana realis est et gratia divina necessaria est. Doctrinae morali Catholicae fidei proprium est ut plene accipiantur ambae veritates; ut accipiantur, sincere admittatur oportet fragilitas humana. Homo debilis est et inermis; tamen quantumvis debiles ac inermes simus, fortes efficimur atque capaces quando Deus nos suos amicos facit. Qui vel minime diminueret visionem profundam et claram quam nobis praebet nostra fides de imbecillitate humana, perderet eodem momento fidem in mysterio gratiae divinae qua libertas hominis, quae vulnerata est etiam in capacitate perfectionem humanam adipiscendi, transformatur in capacitatem respondendi vocationi ad vitam divinam participandam.

Clarum est crism per quam transivimus non fuisse consequentiam difficultatum tantum intellectualium; eamque iterum atque iterum redituram esse nisi occurramus difficultatibus moralibus, earumque fontes multiplices investigentur. Verum sane est nos non posse sperare fore ut peccatum ex hoc mundo eradicetur, cum id ex nostra propria vita numquam eradicare possumus. Tamen ea quae hominibus impossibilia videntur, Deo adiuvante possibilia redduntur.

Vita Christiana non est "realistica" nec id fieri debet; Evangelium est stultitia pro hominibus huius mundi. Nos cum fiducia exspectamus id quod sine praesuppositis fidei est somnium irrealisticum adimpletum iri, nam vidimus id quod erat impossibile iterum iterumque accidere, decurrente historia mirificam quam Christus in Seipsum concentrat.

EXAMPLE OF A POSSIBLE STATEMENT OF THE HOLY SEE CONCERNING CONTRACEPTION

Contemporary man values authenticity. Thus Christians are ever more eager that their lives conform to their faith. But for the same reason, non-believers will no longer pay lip-service to moral norms they do not believe in. Consequently, the moral standards of the non-believing world are steadily diverging from the moral standard of Christians--the law of Christ, which assumes the law of nature to itself just as the Person of Christ assumed human nature to Himself.

Contemporary man has suffered and done much evil. The wars of our century have occasioned crimes the guilt of which somehow touches almost all of us. Our sensitivity to the sacredness of human life is deadened, and we look almost with equanimity upon widespread violations of it. We also tremble at the thought of another great war. In our trembling we draw closer to those near to us, and try to forget our peril. Thus family life becomes more intimate--good comes from evil--but at the same time man's sexual ^{ity} ~~capacity~~ is abused as never before in a desperate quest for intimacy and escape.

